

ei vndique circummissis per omnem Europam legationibus, graue bellum concitabant, Roberto præsertim Cæsare in Italiam excito, & Gallis duce Armeniaco cis Alpes perductis. Sed eos externarum gentium conatus ita sustinuit, vt Gallos virtute Iacobi Vermii ad Alexandriam ingenti pugna superatos, interfecto duce deleuerit, Cæsaremque à Brixianis alpibus se demittere ausum, opposito Facinio Cane, primas Germanorum alas profligante, in Germaniam retruserit. Exinde ad vindicandas iniurias pergens, Franciscum Gonzagam, Mantuæ obsessum, deriuatis Pado atque Athesi per emissarios, & pene summersa vrbe, pacis condiciones, accipere coëgit. Nouissime ad Casalecium iuxta Bononiam Pontificis, Florentinorum, & Bononiensium ingentem exercitum, Bernardone Aquitano fortissimo duce capto, collata acie profligauit; ab eaque statim victoria vrbe Bononia potitus est, pro qua ab excessu Ioannis Antistitis per quinquaginta fere annos fuerat dimicatum. Nec multo post victricibus copiis in Etruriam per Apenninum, tantum terrorem Florentinis intulit, vt demissi animo ciues, nequaquam in domesticis præsidiis, sed in vna tantum impotentis atque irati hostis morte, salutem reponerent. Nec eorum votis fortuna defuit; in arce enim Mellenniani, Romana via supra Lambrum, pestilenti febre correptus, excessit è vita, pridie Nonas Septembris, anno à partu Virginis supra Millesimum Quadringentesimo secundo, quum ætatis annum Quinquagesimum quintum attingeret, imperasset autem annis viginti quatuor. Duos ex Catharina Barnabæ filia impuberes filios Ioannem & Philippum reliquit; quum autem ex Isabella Caroli Galliarum regis filia, priore vxore, nullam prolem suscepisset; ad instaurandam cum Gallo rege propinquitatem, Valentinam ex eadem Catharina primo partu genitam, Ludouico Aurelianorum Principi regis filio, nuptui dederat. Quo coniugio Asta Colonia dotis nomine Valentinæ obuenerit, ad liberos verò eius hæreditatis titulo, Mediolanensis Imperii iura transierunt, quòd Valentinæ fratres sine legitima prole decessissent, sinistro quidem omine insignique detrimento Italiae Galliarumque; quòd in repetenda ea hæreditate, diuturnum & atrox bellum sit exortum, cuius ad huc nullum omnino certum finem videmus. Arsit per aliquos dies ante eius mortem cometes ingens, lurida & funebri oblongaque cauda, versus eam cœli plagam, quæ in corum ventum obuertitur. Nec eo cœlesti prodigio indignus videri potuit, quum nemo principum in Italia à Gothicis vsque temporibus repetita memoria, Imperii magnitudine & vitæ splendore, eo clarior atque potentior extiterit; quòd si victorias inter fortunæ munera numeremus; nemo certe ei vel innatæ grauitatis atque prudentiæ opinione, vel ipsa

oris